



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput VIII. Exploditur Socinianorum de sententia Athamasii insignis
hallucinatio, & de Symbolo nomine ejusdem inscripto variæ recitantur
opinioniones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83642](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83642)

Dionysius renunciatus fit Papa die 20. Julii anno Aeræ vulg. 259. quo capto Valeriano à Sapore Persarum Rege solus regnare coepit Gallienus, obierit autem regnante jam Aureliano die 26. Decembris anno 271. Dionysius vero Alex. vita functus fit xii. anno Gallieni, id est Aeræ Vulgaris 266. Quæ constant ex anno passionis Xysti coronati martyrio, Cos. Tusco, & Basso, id est,

anno quo occubuit Cyprianus, 258. & ex Epist. Synodica secundi Concilii Antiocheni ad Dionysium, de qua Eusebius in vii. H. E. cap. 30. Quodenim Dionysius successerit Xysto post xi. menses, diesque 17. & præfata Synodus coacta fuerit sub Aureliano circa annum 270. luce meridiana à Cl. Schelestrate Dissert. 2. Antiq. Eccl. redditur manifestius.

C A P U T VIII.

Exploditur Socinianorum de sententia Athanasii insignis hallucinatio, & de Symbolo nomine ejusdem inscripto variæ recitantur opiniones.

S U M M A R I U M.

1. & 2. Defenditur Athanasius contra Arianos.
3. Proponitur status quæstionis circa Symbolum dictum Athanasii.
- à num. 4. usque ad 10. Producentur argumenta pro Sententia negativa una cum eorum solutionibus.

à num. 11. usque ad 15. Afferuntur rationes pro Sententia affirmativa.

16. Inferitur hanc quæstionem esse reponendam inter problematicas.

I.
S. Athanasius & Symbolum ejus impugnatur.

NEQUE Athanasio, qui Nisænæ Synodo anno 325. interfuit, pugnavitque contra Arianos glorioso certamine Fidei causa atrocissimas persecutionum procellas imperterriti animo perpeffus, Hæreticorum malevolentia pepercit. Docuisse illum, Patrem Filiumque unum esse sola voluntatis concordia, & dogmata pugnantia cum Symbolo, quod appellant Athanasianum, contendit Wolzogenius tom. 2. pag. 307. opponens Dialogum 1. de Trinit. ex Interpretatione, ut advertimus, Theodori Bezae. At hostes permiscet Socinianus, victosque victoribus. *Nos quidem*, ait Athanasius Orat. 1. contra Arianos n. 9. *ex divinis Scripturis libere, & confidenter de pia rectaque fide loquimur, quam tanquam lucernam super candelabrum collocantes, dicimus: Filius verus natura, & genuinus est Patris, ejusque substantiæ proprius, sapientia unigenita, Verbum verum ac unicum ipse est Dei, non res creata vel facta, sed proprius substantia Patris fetus. Quocirca Deus est verus, veroque Deo consubstantialis existit.* Quam piam, rectamque fidem beatissimus Athanasius ubique confirmat.

2.
Defensio contra Wolzogenium.

Fallitur ergo Wolzogenius, & non quidem uno, sed duplici errore, utroque autem palmari. Error primus est, quod non adverterit in præcitato Dialogo post voluntatis, & concordie unitiorem, etiam statui identitatem substantiæ, & omnem aliam in Deo negari di-

R. P. Berti Theol. Tom. II.

stinctionem præter eam, quæ ex opposita relatione oritur. Nam petenti paullo post Anomæo, *Nulla est igitur differentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti?* respondet Orthodoxus. *Nulla sane neque in natura, neque in voluntate, sed in eo demum aliqua, quod gignere & gigni, emittere & procedere, sive emitti, inter se differunt.* Ex quibus constat etiam in hoc Dialogo Catholicam contineri sententiam, ac Wolzogenium maxima oscitantia, aut execrabili peccare malitia. Alter error est, & supinus, quod tribuit Athanasio Dialogos de Trinitate, quos illi abiudicant Eruditi. Joannes Garnerius in supplemento adscribit Theodoreto, Franciscus Combesius, Rivetus, Dupinius tribuunt Maximo fortissimo Monothelitarum debellatori. Petuntur prioris sententiæ argumenta à tempore & scopo Auctoris, quem ex Dialogo tertio liquet scripsisse post Secundam Synodum, & agere singillatim adversus hæreses etiam Athanasio posteriores. Quæ Garnerii conjecturæ probant Dialogos non esse Athanasii, sed eas facile evertent qui Dialogos adscribunt Maximo. Citant hi per antiquos Codices Romæ, Venetiarum, Ducangii, nec non Gregorium Protosyncellum, Acyndinum, Demetrium, aliosque Græcos, qui eos laudant sub nomine Maximi; styli quoque & phraeos observant similitudinem. His ego potius assentior, quam Garnerio: sed quidquid sit de vero Dialogorum Scriptore;

P 2

tore; inter doctos omnes convenit non esse Athanasii: ait tom. 2. Bibl. pag. 73. Dupinius. Atque his alter Wolzogenii error excutitur.

3.
Symbolum
Athanasii
impugnatur.

Quantum spectat ad Symbolum dictum Athanasii, me non fugit à recentioribus Criticis ex genuinis ejus operibus expungi, quorum validas argumentationes reperies apud Vossium differt. 2. de tribus symbolis, Henricum Heideggerum tom. 2. Selectarum disputat. differt. xviii. Casimirum Oudinum de Script. Eccles. tom. 1. pag. 346. Dupinium in notis ad scripta Athan. tom. 2. Biblioth. pag. 101. & ex Scholasticis apud Juenin tom. vi. Instit. diff. iv. cap. 2. art. 3. §. 4. In horum sententiam fateor me propendere, non ita tamen, ut certissimam esse definiam, & opposita non videatur mihi probabilis. Proferam pro utraque rationes, & ostendam quid certi exhibeant, quid dubii, & deinceps, salvo eruditorum virorum judicio, mentem meam patefaciam.

4.
Impugnatio
1. cum solu-
tione.

Septem argumenta, quæ cum subjectis responsionibus producam, inveniuntur apud recentiores Criticos, negantes esse opus Athanasianum: Primum est: Nullus ante annum millesimum Symbolum istud sub Athanasii nomine laudavit. Primi, apud quos Athanasiani Symboli fiat mentio, sunt Ἀποκεφαλαί, hoc est, Legati à Gregorio IX. Constantinopolim missi an. ccccxxxiii. ad Græcos Latinis conciliandos. Tribuit & Athanasio in Apologetico ad Reges Francorum Hugonem & Robertum Abbo Floriacensis. Is omne præsidium est Cæsari Baronio ad annum c101. At sunt hi pro vetusto Scriptore testes parum idonei. Huic tamen argumento respondere possumus, non solum Abbonem, qui vixit à millesimo anno, sed Hincmarum, Radulphum, Aymonem, Hugonem, aliosque, qui circa decimum sæculum vivebant, hoc symbolum tanquam Athanasii laudasse. Plurium autem Scriptorum consensus quasi exploratam manifestat traditionem. Hanc viguisse etiam apud Græcos inde colligitur, quod Schismatici non ausi sunt negare esse opus Athanasianum, sed tum Apocrifariis, cum cæteris adversus eos disputantibus, ut constat ex prima disputatione Gennadii Scholarii, maluerunt respondere Athanasium ab aliorum sententia recedere; & quod summæ impudentiæ est, cum Symbolum edidit fuisse Ebrium. Probabile quoque est meminisse hujus symboli Nazianzenum; & depromptas inde sententias contineri

in Concilio Augustodunensi anno 670. & in iv. Toletano celebrato anno 633. Multa denique Patrum Opera tanquam genuina fuerunt recepta; quæ plurimum annorum curriculo latuerunt.

Argumentum secundum est, quod Symbolum istud inter vetustos Codices, sub nomine saltem Athanasii, minime reperiatur: quare inter dubia incertaque reponitur ab Abrahamo Sculteto in Medulla PP. parte ii. cap. xl. Sed resp. Petrum Felemannum Coronæum in Variantibus Athanasii lectionibus testari se tandem incidisse in Codicem Bibliothecæ Palatinæ, ubi Athanasii dicebatur. Et quoniam Vossius ait, quod una hirundo non facit ver, addimus antiquissimum Ms. Bibliothecæ Vaticanæ, & perveritum Germanensem Lutetiæ Parisiorum.

5.
Impugnatio
2. cum solu-
tione.

Tertium argumentum petitur à fabula, qua narrant Athanasium conscripsisse symbolum in puteo Trevirensi, ubi diu latuit, ut Arianorum subduceretur insidiis. Quod falsum est, & natum ex Historia Rufini, qui lib. 1. cap. xviii. ait Athanasium per sexennium in sicca latuisse cisterna: verum id in Ægypto, non Treviris compertum est contigisse. Respondetur tamen plura haberi tanquam germana Opera alicujus Scriptoris, etiam si ignoretur locus, & tempus, quo fuerunt elaborata: & verosimilius videri symbolum ab Athanasio conscriptum, quando apud Julium Papam ab Eusebiana factione iniquissimis petebatur calumniis, anno nempe 339. ut docet Manuel Calecas lib. 2. contra Græcos, & Baronius ad annum 340. Ait Vossius, Athanasium non fuisse accusatum de doctrina, sed tantum quod ipsius reditus magnam Alexandrinis civibus causasset incederem, cædesque complures; & quod à Synodo damnatur, nec ab ea restitutus sedem contra Canones recepisset. Addit Athanasium in Epistola ad Antiochenes asserere non esse proferendas Fidei formulas præter Nicænam, quomodo & decrevit Synodus, quæ Sardis convenit. Caspar Juenin inquit, Joviano Confessionem fidei petenti, non aliam misisse Athanasium præter Nicænam. At ex priori Vossii responsione potius inferitur Athanasio fuisse consilium, hujus symboli exhibitione demonstrare se in Synodo Tyria præter fas, jusque damnatum. In Epistola autem ad Antiochenes, & in Sardicensi Synodo indicitur ne altera condatur fides contra illos, qui adversus Nicænum symbolum, quasi quædam ei deessent, obloquebantur: neque ullibi vetitum

inve-

invenio Catholico viro propriam adversus obrectatores exponere professionem. Jovianum præter Nicænam Fidem, ob exorientem Macedonii hæresim, quædam alia postulasse Vossius ipse non negat; & decipitur Juenin. Et quidem ad refellendam hæresim eorum, qui deitatem Spiritus S. negabant, videbatur etiam Nicæno symbolo aliquid superaddendum, uti factum in Synodo Constantinopolitana post annos duodeviginti. Hinc jugulatam ab Athanasio hæresim Macedonii ante commemoratam Synodum, auctor est Nazianzenus.

7.
Impugna-
tio 4. cum
solutione.

Quartum argumentum est, Auctorem Symboli Athanasiani fuisse Latinum, cum Græca exemplaria varient, & Latina omnia consentiant: id enim indicio est, ex Latino in Græcum, non ex Græco in Latinum fuisse translatum. Verum concedendum est primo scriptum latina lingua, quam Athanasius aut didicerat Alexandriæ, aut assecutus est profugus; nisi mavis opera Latini Interpretis usum dictando Fidem Pontifici Romano exhibendam.

8.
Impugna-
tio 5. cum
solutione.

Sequitur quintum argumentum, videlicet, quod Latini hoc telo pugnasent adversus Græcos circa controversiam de processione Spiritus Sancti; cum tamen annis prope quingentis, quando de ea disceptatum est, certum sit neminem Athanasii symbolum produxisse. At responderi potest, non omnia Antiquorum argumenta ad nos pervenisse, & hujusmodi ratiocinium ejusdem generis esse, ac illud, quo negant aliqui germanum esse illustrem Joannis textum; de quo superiori lib. vii. cap. 3. contra Erasmus ac Simonium disputavi. Certum est hujus symboli auctoritate argeri Græcos à Manuele Caleca lib. II. contra Græcos ipsos, cap. xx. à Genadio Scholario cap. i. sect. i. & ab Apocristariis, quorum superius memini.

9.
Impugna-
tio 6. cum
solutione.

Sextum argumentum est, quod videatur Anastasii Sinaitæ, tributumque Athanasio propter vocabulorum vicinitatem; sed in hoc refutando non est necesse vagari: Divinare enim vellent Scriptores illi, quorum alii Symbolum adscribunt Anastasio, quidam Eusebio Vercellensi, nonnulli Vigilio Thapsitano, & premuntur singuli iisdem argumentationibus, quas petunt ex Antiquorum silentio.

10.
Impugna-
tio 7. cum
solutione.

Postremum, ac præcipuum argumentum est, in symbolo Athanasii refutari apertissime hæresim Eutychetis & Nestorii his verbis: *Unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate Personæ Nam sicut anima rationalis, & caro*

unus est homo: ita Deus & homo unus est Christus. Post exortam itaque Eutychianam & Nestorianam hæresim, quas Athanasius multis annis præcessit, symbolum fuit exaratum. Respondet Franciscus Macedo in Theologia Positiva Sch. iv. Coroll. Spiritum Sanctum Ecclesiam suam adversus futuras hæreses munivisse; & recensitos errores, & impietatem Nestorii profligari in expositione Fidei, quæ habetur tom. i. Operum Athan. p. 240. & citatur in Concilio Hispalensi: damnari quoque Eutychetem in Epistola ad Epichtetum; hujus vero erroris semina jam olim quoddam projecisse, auctore Euthymio 2. p. Panopliæ. Et quidem Eutychetis & Nestorii in symbolo, de quo agitur, non memorantur Personæ: traditur tantum Fides Catholica, quæ semper eadem perseverat.

Productis, solutisque argumentis contra Symbolum Athanasii, videndum est quibus vulgaris opinio, quæ prius invaluerat, fulciri possit. I. Probatur ex communi sensu Scriptorum qui sæculo decimo floruerunt; & aliorum, quorum difficile esset inire numerum. Plures laudavimus supra, alios profert Vossius diss. 2. de tribus symb. cap. i. Addo hostes alios Romanæ Ecclesiæ Valentinum Gentilem, & Socinianos complures, qui ignominie causa audacter appellant symbolum *Satanasii*; Græcos ipsos Refractarios, quorum de Athanasio calumniam me pudet repetere: Confessionem Wittembergensem Lutheranorum, & Conventum Hugonistarum; de quo, loco citato Franciscus Macedo. Sed respondetur juniores esse istos omnes, & magna ex parte callidos Ecclesiæ hostes: recentiores Græcos ut plurimum illiteratos; nonnullos autem id pugaciter negare, ut Meletius Alexandrinus apud Voss. cit. loco cap. xx. jam inter omnes convenire quod falso nomen præferat Athanasii, ut inquit Dupinius tom. 2. pag. 71.

II.
Vulgaris
opinio pro
Symbolo
Athanasii
fulcitur.

Probatio 1.

Secundo probatur ex pervetustis Codicibus, quos laudavi supra in responsione ad 2. Sed respondent hos aut nomen Athanasii non præferre, aut non videri ab antiqua manu conscriptos, aut non esse cum iis comparandos, in quibus symbolum non reperitur, sive numerum, sive antiquitatem spectemus. His addè Vigilium Thapsitanum, cui symbolum adscripsit Quenellius, plura sub nomine Athanasii Opera supposuisse.

12.
Probatio 2.

Rursus probatur auctoritate Ecclesiæ, à qua in Officio Dominicæ, & in Festo Trinitatis legitur ad Primam, & habetur

13.
Probatio 3.

tur genuinum, atque Athanasianum. Legendi sunt, qui de Divinis Off. scripserunt, Guilelmus Mimatensis lib. iv. cap. xxx. & Joannes Beletus cap. xl. Neque à sola Latinorum Ecclesia, tribuitur Athanasio à Constantinopolitana, à Serviana, à Bulgarica, à Russica, à Moscovitica; ut scribit ad Calvinum Ep. i. Joannes Sarmata. Verum qui modestiores sunt, respondent appellari Athanasianum, quoniam ex aureis Athanasii disputationibus à Latino Theologo mutuatum est, collectis contra subortas hæreses, quæ sparsæ erant, sententiis. Etenim ex Athanasio posteriores quoque hæreticos refelli, docere debent quicumque illi symbolum tribuunt, ut diluant argumentum postremum adversus illorum sententiam paullo supraproductum.

14.
Probatio 4.

Quarto probatur ex Augustino, qui in Psalmum cxx. super illud: *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. De hoc sole:* inquit, *Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus ita pulchre locutus est: Filius Dei à Patre solo est non factus, nec creatus, sed genitus.* Quo argumento utitur Bellarminus lib. ii. de Christo cap. xxv. Et Possévinus in Apparatu Sacro, voce *Athanasius*. Et quoniam si Augustinum inspiciamus, non adinvenimus nominatim exprimi Athanasium, & videbimus Possévinum, Bellarminum, Vasquesium, alios, bona fide deceptos: gloriatur Macedo se hujus loci diligenter quæsisse authenticitatem, ac tandem profecisse consilio: extare nempe in vetusta Augustiniana editione ante Basileensem, non quidem in Commentariis in Psalmos, sed in Epistolam i. Joannis, ubi S. Pater præfatum versum Psalmi producit. Respondebunt tamen nullibi apud Augustinum legi verba illa, & etiam Codici, quem vidit Macedo, à sciolo Amanuensi fuisse confuta, vel inserta ex marginis adnotatione: quod satis liquet ex optimorum Mss. collatione, ex Parenthesi textum hunc intercipiente, ex Macedi hæsitacione, qui demum ait: *Videbatur additus veteri editioni.*

15.
Probatio 5.

Probatur quinto ex Gregorio Nazianzeno. Is in Oratione de laudibus Athanasii, loquens de symbolo, quod misit Joviano una cum Epistola nomine suo,

& illustriorum Episcoporum Aegypti, Thebaidos, & Libyæ scripta, ait: *Nam cum ceteri omnes, qui doctrinam nostram profitebantur, trifariam divisæ essent; ac multicirca Filium, plures circa Spiritum Sanctum ægram fidem haberent: pauci autem utrinque sani, & incolumes essent; primus ille, & solus, aut cum admodum paucis, veritatem palam, apertisque verbis promulgare non dubitavit. unam trium personarum divinitatem & essentiam scripto confessus: & quod multis illis Patribus circa Filium prius concessum fuerat, idem ipse postea in asserenda Spiritus Sancti divinitate superno afflatu consecutus.* Atque Imperatori donum vere regium, & magnificum offert. Hæc sane verba intelligi non debent de symbolo Nicæno, sed de alio expressius damnante hæresim postea dictam Macedonianam, & Spiritus Sancti divinitatem apertissime contestante: quod constat ex verbis Nazianzeni. Neque intelligi possunt de Epistola Athanasii, cui Nicænam Fidem inseruit: nam & videtur Nazianzenus appellare Confessionem, non Epistolam: & hæc brevis quidem, & clusi Symboli stragulum, non erat forte dicenda *δοκον βασιλικον οντως, & μεγαλοπρεπες, donum vere regium, & magnificum.* Igitur de Symbolo dicto Athanasiano intelligendus est Nazianzenus, ut demonstrant Manuel Caleca supra laudatus, & Joannes Baptista Desbois in Addit. ad Bellarm. de Christo lib. 2. cap. 25. Respondent nihilominus Adversarii Nazianzenum ad utrumque respicere, & ad Symbolum Nicænum, & ad Epistolam Athanasianam: siquidem Athanasium misisse Confessionem Nicænam, testantur Theodoretus Hist. Eccl. lib. iv. cap. 3. & Nicephorus lib. x. cap. 42. Porro negantes Verbum *εμμετρον* solo Nicæno Symbolo refelluntur; & qui in Spiritum Sanctum loquuntur blasphemiam, citata Epistola refutantur.

Ex his inferitur quæstionem de Symbolo Athanasii esse de genere illarum, quæ possunt in utramque partem defendi. Videntur tamen prioris sententiæ momenta validiora, atque illam probabilior opinor. Ut unusquisque teneat quod magis approbat, ego tela, clypeumque suppeditavi.

16.
Resolutio
ultima pro
Symbolo.



CA-